

adventum, non videntur esse aliud, quam octava seu repetitiones hujus festis Trinitatis. Idem enim capitulum et hymnus, qui hac die canitur, repetitur in Dominicis, et responsum ultimum semper est de Trinitate, etc.

Est ergo hæc brevis doxologia, laus Dei præstantissima, qualem ei concinunt in cœlis angeli et beati omnes, quorum æmuli nos hic in terris eorumque officium usurpare et inchoare debemus, quod brevi cum illis ipsis in cœlo consummabimus per omnem æternitatem. Hac ratione beatorum socii efficiuntur et inchoamus in terram vitam cœlestem et angelicam: ad quam, etc.

CONCIO III.

DEUM ESSE OSTENDITUR, EUMQUE UNUM.

I. Deum esse ostenditur ex lumine naturali. — II. Ex mundi structura. — III. Ex gubernatione mundi. — IV. Ex rationibus philosophorum. — V. Ex miraculis.

THEMA.

Ipsi gloria in sæcula, Amen. Rom. XI.

Nemo est, auditores, non modo Christianorum, sed etiam infidelium, qui si interrogetur, utrum aliquis Deus sit, non asserat pro certo. Multi nihilominus sunt etiam inter Christianos, qui si mores et vitam eorum inspiciamus, id abnue-re videntur. Videmus enim homines aliquos ita extra se positos et a ratione destitutos, ut cum impiis illis dicere videantur in corde suo: *Non est Deus*, Ps. XIII. Peccant enim tam libere, ac si nemo prorsus esset, qui acta ipsorum consideret, et vindicare queat, cuique obedire et subiecti esse debeant. Quibus proinde principium seu alphabetum fidei videtur inculcandum: esse nimirum Deum, idque non ex fide tantum, sed ex ipsa ratione demonstrandum. Primo, ut non solum credant, sed ut sciant etiam. Qui scit et videt adesse regem suum, magis eum metuit, colit et reveretur, quam qui credit tantum aliis narrantibus. Secundo, ut sciant practice simul et speculative. Multi optime sciunt, Deum esse ubique, omnia audire, videre, judicare; sed ita interim vivunt, quasi id falsissimum sit. Tertio, ut hoc ipsum plurimis argumentis comprobatum, firmiter sibi imprimant et sæpius animo revolvant. Denique, ut exinde non solum ejus existentiam, sed etiam sapientiam, potentiam, bonitatem, providentiam et dominium discant intelligere.

I. Ostenditur ex lumine naturali et dictamine rationis communique omnium iudicio: *Nulla enim gens est*, inquit Cicero, l. 1. de legibus, *neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non*

etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Protagoras quia dicebat non habere se de diis, an sint nec ne, ab Atheniensibus urbe ejectus est, et libri ejus combusti, Cic. l. de natura deorum. Omnes etiam gentes habuere suos deos, sua sacra, cæremonias, templa, etc. Ad hæc omnibus hominibus a natura inditus est quidam instinctus ad Deum colendum, timendum, et in necessitatibus ac periculis invocandum. Hinc sæpe pro Dei sui cultu et honore inter se digladiantur et pugnant, omniumque honorum jacturam faciunt: quomodo filii Israel reliquerunt uxores suas gentiles unacum liberis in Babylone, et reversi sunt in patriam ut ibi Deum suum verum colerent. Hinc qui male sibi consci sunt, solent timere sibi ab ira et vindicta Dei, quærunt latebras, anguntur animo, terrentur spectris, et cum incidunt in miserias, agnoscunt se a Deo plecti. Hinc in repentinis periculis et magnis calamitatibus absque deliberatione recurrimus ad Deum ejusque imploramus opem aut vindictam: O Deus succurre! O Deus vindex esto! Agnoscunt etiam homines, Deum omnia scire, omnia posse: ejus favorem imprecantur amicis, vindictam inimicis. Ergo qui filiis indidit reverentiam et amorem erga parentes; qui agno ut ex voce nosceret matrem; qui magneti, ut vertat se ad helicem, idem etiam indidit mentibus humanis naturalem Dei cognitionem. Id quod etiam, Cic. l. de natura deorum dixit: *Hoc omnibus esse innatum et insculptum.* Ergo falsum esse non potest; siquidem natura non insevit menti assensum falsi, alioquin prava esset et rationem perverteret.

II. Ex mundi structura, ordine, harmonia, pulchritudine et magnitudine quæ in cœlo, stellis, elementis, meteoris, animalibus, plantis, etc. conspiciuntur. Quis enim ingressus domum aliquam, et omnia ibi exulta, ornata, atque disposita videns, non intelligat præesse ei dominum aliquem? Sane si in itinere casu incideres in domum aliquam, pro principe persona omnibus rebus instructam et mire adornatam, peteresque qua ratione domus ea effecta esset, et tibi responderetur, partem vicini montis casu decidisse, et ipso lapsu ac partium dissectione domum hanc effecisse: nonne velut dementem illum irrideres? Vel si videres tabulam variis figuris et præstantibus coloribus affabre depictam, et diceret tibi aliquis casu evenisse, ut spongia coloribus tincta incidere in tabulam et inde picturam hanc existere, nec alium esse artificem, qui opus hoc elaborarit: quid tibi videretur?

Id ipsum colligitur ex singularum creaturarum structura, officio, proprietatibus, quibus finem suum consequi possunt. Unde Galenus medico

rum sidus, ex sola humani corporis structura mirabili Deum esse agnovit, qui infinita sapientia hominem condiderit. Omnes enim corporis partes habent suos peculiare fines ad quos attissime et mirando modo ac symmetria sunt comparatæ et depositæ. Necesse est ergo esse mentem aliquam sapientissimam, quæ omnes illos fines conceperit et media ad singulos opportuna ordinaverit.

III. Ex gubernatione mundi, quæ cernitur. Primo, in conservatione ejus. Cum enim constet rebus tam disparibus, contrariis, et inter se pugnantibus; nequaquam tamdiu potuisset consistere, si rectore destitutus fuisset: quemadmodum et navis, si gubernatore careat, in salo fluctuans diu salva esse nequit, sed brevi ad scopulos allisa mergitur: nec currus diu et ordinare ferri, si auriga careat.

Secundo, in motu cœlorum regularissimo et utilissimo; siquidem efficit quatuor anni tempestates ad generationem frugum, viventium conservationem et annuam quodammodo mundi renovationem. Hic autem motus non potest habere originem ab impetu aliquo naturæ cœlis insito seu inclinatione naturali, quia non tendit ad terminum, sed est perpetuus. Nihil autem appetit semper esse in via, sed omnia cupiunt venire ad terminum et in eo conquirere. Ad hæc motus ille non est propter ipsos cœlos, sed propter homines. Denique, quia est diversissimus. Præter motum enim raptus, quo omnes feruntur ab oriente in occidentem, habet unumquodque cœlum suum motum proprium ex occidente in orientem: et imprimis orbis Saturni periodum suam conficit annis fere triginta, Jovis duodecim, Martis circiter duobus, solis uno, Veneris uno, Mercurii eodem fere spatio, lunæ viginti duo diebus et horis octo. Firmamentum intra centum annos putatur conficere unum gradum. Debet ergo hic motus tam varius, tam regularis et ordinatus provenire a causa externa, eaque intellectuali et summa sapientia prædita.

Tertio, in malorum suppliciis, et bonorum prosperitate. Tametsi enim in hoc sæcula tempus proprium non est retribuendi unicuique secundum opera, sed in sæculo futuro: ne tamen existimarent homines Deum prorsus dormire aut omnino in rerum natura non esse, sæpius impii etiam in hoc sæculo meritis dedere penas, ut in diluvio generali, in excidio Sodomæ, in plagis Ægyptiacis, in peregrinatione ad terram promissionis per desertum. Exemplo item sunt tyranni et hæresiarchæ pene omnes graviter mulctati, Antiochus, Herodes, Nero, Arius aliique innumeri, et imprimis blasphemi qui ipsum nomen impugnare ausi: vicissim

boni et Dei cultores plurimum prosperati sunt, ut David, Constantinus Magnus, Carolus Magnus et V. uterque Theodosius, etc.

IV. Ex rationibus philosophorum. Eorum prima ducitur ex rerum ordine. Cum enim in natura diversi cernantur rerum gradus, in quorum primo sunt corpora simplicia, ut elementa; in secundo mixta imperfecta, ut nix, grando, pluvia, etc. in tertio mixta perfecta, ut lapides, metalla; in quarto viventia, ut plantæ, arbores; in quinto sententia, ut animalia; in sexto intelligentia corporea, ut homines; in septimo intelligentia incorporea ut angeli, et inter angelos sint alii aliis præstantiores; ergo vel dabitur processus in infinitum (quod in natura fieri nequit) vel deveniendum est ad unam aliquam perfectissimam omnium, quam dicimus esse Deum.

Secunda, ex motu. Omne enim quod movetur, aut in se, aut extra se habet vim motricem a qua moveatur, uti corpus animam: cœlum angelum. Cum ergo omne quod movetur dependeat ab aliquo motore, quæratur de hoc motore, utrum in essentia et virtute sua dependeat ab alio, necne. Si ab alio, de hoc idem quærimus, et dabitur progressus in infinitum, quod fieri nequit: si a se, hunc dicimus esse Deum, qui sit primus motor omnium quæ moventur.

Tertia, quia debet esse causa aliqua, a qua cætera omnia dependent. Nam res corporeæ vel sunt a seipsis, vel a casu fortuito, vel ab aliqua causa incorporea, mente prædita. Non a seipsis, quia videmus omnia sublunaria ab aliis progigni: non a casu, quia omnia in mundo summa ratione constant, et artium omnium ingenia superant: ergo causa aliqua prima, quæ summa potentia et sapientia sit prædita, et hanc vocamus Deum.

V. Ex miraculis, quæ cum vim omnem creatam superent, facta tamen esse noscantur, necessario procedere debuerunt a majore quadam et invisibili vi, quam vocamus Deum. Talia sunt mundi creatio et mirabilis conservatio per vicissitudines generationum, cœlorum mira et perpetua rotatio: miracula item veteris et novi testamenti.

Jam vero unum tantum Deum esse facile ostenditur. Primo, ex sententia sapientum omnium, uti Platonis, qui ut refert Euseb. Cæsariensis, lib. V. de præparat. evang. ad Dionysium tyrannum scripsit: *In hoc cognosces epistolas meas, quod in illa initium erat hoc nomen, Deus: in reliquis vero epistolis jocose deos nomino, vulgi condescendens errori*: Aristotelis, qui inter intelligentias unam summam constituit, quæ essei principium et origo cæterarum omnium, idemque quod palam dixisset: *Non est Deus nisi*

unus; accusatus, fuga sibi consulit: Socratis qui deorum turbas insectatus cicutam bibere compulsus est, teste Seneca, l. de vita beata, c. XXXII. item Ciceronis et aliorum, ut patet in l. de natura deorum et de divinatione, quos libros propterea abolendos non minus quam Christianorum libros censuerunt quidam gentiles, in persecutione Diocletiani et Maximiniani, propterea quod Christianorum religio de uno Deo inde stabiliretur, apud Arnob. l. III.

Secundo, rationibus. Primo, quia Deus est ens absolutissimum, et perfectissimum, ergo unum. Nam si essent duo dii, unus haberet aliquid perfectionis, quod non habet alter; ac consequenter non haberet omnem perfectionem, ergo neuter esset perfectissimus. Rursum si sunt duo dii, vel idem potest unus, quod alter; vel unus hoc, alter illud: si primum, alteruter superfluum est; si secundum, ergo neuter supremus est, adeoque nec Deus; quia non potest vel habet omnia: item si essent duo dii, haberent duas et diversas voluntates, ergo possent velle contraria, ex quo bellum inter ipsos et universi perturbatio sequeretur: item si non est unus solus Deus, non potest terminari numerus deorum; quia non est major ratio, cur sint duo vel tres, quam plures. Secundo, quia regimen universi debet esse optimum, tale autem est monarchicum. Unde Homerus non vult plures regere, sed inquit: *Rex unicus esto*: similiter Aristoteles, in metaphys. *Non est bonum, inquit, pluralitas principantium; unus ergo princeps*. Accedit consensus omnium populorum, qui unicum habuere et constituere sibi principem. Taceo Scripturam sanctam, Deut. VI. *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est*: et c. XXXII. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus extra me, etc.*

Ex quibus omnibus constat nihil esse certius, quam quod Deus sit, et consequenter Dei providentia, qua res omnes gubernat, et ad finem suum dirigit. Hinc porro sequitur, Deum esse ens perfectissimum, summe potens, summe sapiens, summe dives, summe pulchrum, summe amabile et laudabile, etc. Viderint igitur athei et Machiavellistæ, et quicumque ita vivunt ac si non esset Deus. Solemus dicere iis, qui impudenter et enormiter peccant: Memento esse Deum in caelo. Hoc utinam nos omnes semper meminissimus! Si enim Deus est, ergo nostra omnia videt, et suo tempore puniet, vel præmiabit, prout meriti fuerimus.

Rursum hinc consequenter magnopere nobis ad laborandum, ut Deo placeamus. Si enim hunc irritamus, non est alius Deus, ad quem confugiamus. Si rex Hispaniæ tibi irascitur, divertere potes ad regem Galliæ, ab hoc ad re-

gem Angliæ, etc. sed si Deus tibi iratus est, non est alius ad quem te recipias. Hoc indicat, Deut. XXXII. cum ait: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Ego occidam, et ego vivere faciam, et non est qui de manu mea possit eruere*. Ad hæc si Deum nostrum amittimus, omnia amittimus, nec superest nobis alius Deus. Qui plures habet filios, si per mortem perdat unum, levamen habet mœroris, quod alii ei supersint: sed qui Deum perdit, quomodo se consolabitur, siquidem alius ei non restat? Denique, si Deo placeamus, jam beati quasi sumus, quia non est amplius timendum, ne alteri displiceamus. Durum et difficile est pluribus dominis servire ac placere; uni vero non item: ergo: *Jubilare Deo, omnis terra, servite Domino in lætitia*.

CONCIO IV.

DE ATTRIBUTIS ESSENTIÆ DIVINÆ SECUNDUM SE: PERFECTIONE, INCOMPREHENSIBILITATE, IMMENSITATE, ÆTERNITATE.

I. Perfectio Dei: 1. Quia naturæ sublimissimæ. 2. Quia est perfectissima omnium causa. 3. Quia eminenter omnia continet. — II. Incomprehensibilitas Dei: 1. Quia nequit omnino cognosci. — 2. Quia judicia ejus inscrutabilia. 3. Quia modus operandi secretissimus. — III. Immensitas Dei: 1. Est ubique per præsentiam. 2. Per sapientiam. 3. Per potentiam. — IV. Æternitas Dei: 1. Ab æterno est et in æternum erit. 2. Immutabilis, semper idem. 3. Nihil ei accedere vel decedere potest.

THEMA.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Rom. XI.

Tanta tamque salutaris res est veri Dei cognitio, ut Dominus noster dicere ad Patrem suum non dubitarit, Joan. XVII. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, q. d. hanc esse viam ad vitam æternam, si bene cognoscamus Deum: non quidem cognitione solum theoricâ, sed practicâ, si nimirum sedulo perpendatur, crebro in animo versetur, menti imprimatur, et memoriæ commendetur, qualis et quantus Deus sit. Hocque esse videtur, quod apostolus Ephesiis suis, omnibusque Christianis precatur flexis genibus, ad Eph. III. cum ait: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, etc. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum*. Quem locum S. Bernardus, de consideratione ad Eugen. papam de Dei attributis intellexit. Orat autem apostolus, ut non speculative, tantum intelligere,*

sed ut comprehendere possimus, hoc est, ut attentissime cogitantes omnino persuadeamur rem ita se habere. Hac ratione nos comprehendere Deum possumus, non quantum infundere Deus potest, sed quantum capere corda nostra possunt. « Numquid quia totum fluvium ebibere nequeo, inquit Cyrillus Hierosol. catech. VI. id quod mihi commodum est sub mensura non hauriam? Numquid cum solem oculis comprehendere nequeam, etiam lucis illius usum quantum sufficit, non aspiciam? Et si in hortum magnum ingressus fuero, et omne genus fructuum comedere non potuero, visæ et inde exeam? » Conemur igitur comprehendere hic, quantum possumus Deum nostrum.

I. Quid Dei sublimitas, nisi summa illius perfectio? Ea vero primo, consistit in naturæ ejus nobilitate et sublimitate, omnes res creatas et creabiles in infinitum excedente: propter quod merito ei dicitur, Psalm. LXXXII. *Tu solus altissimus in omni terra*. Res enim tanto sunt nobiliores, et altiores, quanto sunt puriores, et a natura magis abstractæ, ut patet in corporalibus. Aqua terra altior est, et nobilior quia purior, aer aqua, ignis aere, cœlum igne, ob eandem rationem. Deinde, in spiritualibus, intellectus humanus sensu est nobilior, quia non eget organo corporeo quo tamen eget sensus: intellectus angelicus humano præstat, quia non pendet a phantasia, a qua pendet humanus. Quoniam ergo Deus purissimus est actus et independens ab omnibus, quoniam ipse sibi omnia est et in se habet omnia: sequitur etiam nobilissimum esse, et nobilitate omnes creaturas in infinitum excedere; ac propterea Lucifer, licet alioquin angelorum nobilissimus, quando similitudinem Dei affectavit, in profundissimum barathrum est detrusus meritoque expugnatus a Michaele qui sonat: *Quis ut Deus?* Quare si mittamus cum S. Augustino oculos nostros velut legatos ad creaturas, et quaeramus, utrum ipsarum aliqua sit noster Deus, omnes uno ore respondebunt, quomodo Joannes legatis Judæorum: *Non sum, non sum*; sed Deus nobis longe altior, purior, nobilior, pulchrior, fortior, major, sapientior, etc. Audi S. Augustinum, l. X. confess. c. VI. « Interrogavi terram et dixit: Non sum, et quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt: interrogavi mare et abyssos et reptilia animarum vivarum, et responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos: interrogavi auras flabiles, et inquit universus aer cum incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus: interrogavi cœlum, solem, lunam, stellas: Neque nos sumus Deus, quem quaeritis, quia non sumus. Et dixi omnibus his, quæ circumstant fores carnis meæ: Dixisti

mihi de Deo meo, quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos, etc. » Hinc etiam Job XV. dicitur: *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus*.

Secundo, in eo quod ipse perfectissima causa est rerum omnium; est enim prima et altissima causa rerum efficiens, exemplaris, et finalis, quod videtur indicasse apostolus in hodierna epistola, cum ait: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*. Ex ipso, ut a causa exemplari quæ rerum omnium formas et ideas in se continet, easque ex mente sua quodammodo depromit, quo modo artifex domum artificialem ex mente sua; solus autem Deus omnia potest facere, rerum omnium designationes, formas, et ideas in se gerit: *per ipsum*, ut per causam efficientem omnium perfectissimam, quia vim efficiendi habet a seipso, reliquæ creaturæ a Deo; rursus, quia ipse a nullo movetur ad efficiendum aliquid, reliquæ creaturæ ut vim exerant suam a Deo moveri debent; denique, licet aliquæ creaturæ sint causæ universales, a quibus dependent particulares, ut cœlum et angeli qui cœlos movent; ipsæ tamen a Deo factæ sunt, et solus ipse universalissima est: *in ipso*, tamquam in causa finali, quia propter se, ad patefaciendam scilicet gloriam suam, omnia creavit.

Tertio, in eo, quod Deus omnium rerum perfectiones in se eminenter continet, non tantum earum quæ creatæ sunt, sed etiam creabilium, quæ infinitæ sunt et infinitam intensionem patiuntur: est namque Deus omnium rerum causa effectiva, ac proinde in se omnes eminenter continet; quia omnes cum vult creare potest, et semper in infinitum nobiliores. Unde in hodierna epistola, ait apostolus: *In ipso sunt omnia*, velut in penu inexhausta et omnibus rebus desiderabilibus instructa, unde omnia mox depromi possunt, quantumque desiderentur in infinitum. Propterea teste Domino, Matth. XIX. dicitur: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, proprie scilicet, quia in eo solo omne bonum. Atque ita Moysi petendi videre gloriam Dei, respondit Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi*, Exod. XXXIII. Unde S. Franciscus dicere Deo solebat: *Deus meus omnia*. Si qui ergo nunc haberet unam rem, quæ ei uno intuitu et momento representaret omnia oblectamenta sensuum, quæ ad visum, auditum, olfactum, gustum et tactum pertinent; representaret omnis generis lapides, gemmas, metalla, flores, fructus, herbas, arbores, aves, pisces, quadrupedia, omnes homines, nationes, urbes, etc. ita ut opus non esset unquam egredi domo ad videndum ista: qualis obsecro res ista foret? Et si præterea conferret tibi possessionem omnium

illarum rerum, quas repræsentat et usum accipiam : qualis ea foret? Et si tibi insuper afferret omnis generis scientias, artes, arcana, quæcumque desiderari possunt : quam pretiosa ea foret? Et si ea non hominis tantum, sed angeli etiam desiderium explere posset : quid diceret? Et tamen ea adhuc minime respondet Dei perfectioni. *O igitur altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* Jam vero hæ omnes perfectiones et infinitæ quæ excogitari possunt, in una eademque simplicissima Dei essentia continentur, sicut in una aurea moneta magni ponderis multæ minutæ pecuniæ. Sed quo maximum est, ea omnia in Deo continentur eminenter, id est, longe præstantiori modo, quam in seipsis sunt, juxta id Joan. *Quod factum est, in ipso vita erat*, quasi externa Dei opera sunt velut picta tantum et mortua, prout vero in mente Dei sunt, viva, quemadmodum uva, v. g. picta, plurimum excedit ab uva vera, siquidem illa oculos tantum recreat, sitim non extinguit, saporem et odorem non habet, quod tamem facit uva naturalis. Sic res in Deo sunt modo longe præstantiori, quam in seipsis, quia mentem reficiunt, æternæ sunt, appetitum satiant, nec extinguunt, infinitæ intensionis sunt, etc.

Quam ergo stulte agunt, qui relicto tam perfecto et vero bono, quærunt tam exigua et picta bona? Nimirum ut aves ad uvas illas pictas a Zeuxe advolabant, quasi eas carpturæ, unde tamen sitim aut famem non levabant, sed graviter impingebant : ita contingit hominibus. Cum enim tam affabre pietas a Deo videant creaturas, ad eas advolant et adhærent illis ; sed famelici tandem concidunt, et nihil inveniunt in manibus suis ; umbras enim sectantur, quæ in solo Deo res et vita sunt.

II. Quod quæso Dei profunditas, nisi ejus incomprehensibilitas? Sic enim in hodierna epistola pro voce *altitudo* habetur Græce *profunditas* : incomprehensibilis vero Deus est. Primo, non modo quia oculis corporeis videri nequit, sed etiam quia ab intellectu, licet elevato per lumen gloriæ, nequit comprehendi, seu cognosci quantum cognoscibilis est. Sunt enim in Deo infinitæ perfectiones, et singulæ in infinitum magis et magis cerni possunt, non tamen comprehendi, nisi ab ipsomet Deo. Est enim velut vorago ingens, vel aurifodina sine fundo, quæ quo magis foditur, tanto magis abundat. Ac licet omnes sancti Dei per omnem æternitatem semper nova et nova in Deo videant, nunquam tamen ad fundum venient : atque inde fiet, ut sine ullo fastidio semper in eis perseveret Dei visio et videndi desiderium, juxta id Eccl. XXIV. *Qui edunt me, adhuc esuriant : et qui bibunt me, adhuc sitiunt.*

Jam si regina Esther conturbata corrui, cum intueretur majestatem et vultum regis Assueri dicens : *Vidi te, domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum* : iterumque corrui et pene exanimata est, Esth. XV. quid erit cernere faciem Dei plenam infinitarum perfectionum et gratiarum?

Secundo, quia Dei judicia inscrutabilia sunt, et quemadmodum, Psalm. XXXV. dicitur : *Judicia Dei abyssus multa*. Quis enim intelligat, cur Deus multos reprobos hic fortunet et impunes relinquat : bonos contra sæpe affligi, æremi et occidi patiat? *Existimabam ut cognoscerem hoc*, ait David, Psal. LXXII. *labor est ante me*. Et cur Deus Jacob dilexit, Esau autem odio habuit, antequam quidquam boni vel mali egissent. Id quod miratur apostolus ad Rom. IX. et ne quis dicat, id factum ob prævisionem meritorum utriusque, addit hoc factum esse : *Non ex operibus* (Jacob et Esau) sed *ex vocante*, id est, gratuita Dei electione. Quis non obstupescat, quod latronem tota vita malum, in morte convertit : Judam contra tamdiu bonum, ad extremum cadere permiserit? Tametsi enim ille Christum confessus est, hic vero prodidit. Cur non respexit Judam, sicuti Petrum, ut in lacrymas resolveretur et pœneret? Cur non etiam utrique latroni gratiam impendit et paradisum aperuit, vel neutri? Eecur aliquos Deus rapit in juventute, ne malitia mutet intellectum eorum ; alios non rapit, sed perverti sint? Quid de integris nationibus? Cur aliæ citius, aliæ tardius vocatæ sunt ad fidem? Cur ab uno regno fidem aufert, sine qua salvari impossibile ; et in eam conservat diutissime? Ad hæc, inquam, omnia nihil aliud responderi potest, quam illud : *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!* *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, etc.*

Tertio, quia modus operandi abditissimus est, et nemo investigare potest qua ratione hoc vel illud faciat, sedet enim in officina secretissima et nemini ostendit, quo modo operetur ; siquidem : *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, ut ait apostolus, 1. Tim. VI. Quomodo ergo totam orbis molem tam elegantem e nihilo creavit? Quomodo in loco posuit, cum nullus adhuc locus esset? Quomodo firmavit in medio orbis terram sine fundamento? Quomodo suspendit in aere nubes? Quomodo tam regulariter gyrat cœlum? Ad hæc, quomodo mutat panem in corpus Christi? Quomodo quinque panes multiplicavit? Quomodo existit in sacra hostia? Nimirum id unum dicendum restat : *O altitudo*

divitiarum, etc. quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?

Quam ergo stulte agunt hæretici et similes, qui Dei opera et fidei mysteria sensibus metiri, et nil pene volunt credere quam quæ sunt oculis subjecta? Quam temere et illi, qui divina rimari judicia et ad suum examinare judicium, suam interponere sententiam non erubescunt? Deus bone! Seraphim iiii, qui volatu superant omnes angelos, duabus alis velabant facies suas, et duabus pedes suos coram throno Dei, Isa. VI. quo nimirum indicarent se non modo divinitatis ejus, sed etiam operum illius arcana investigare minime posse : et nos talpæ in densissimis tenebris oberrantes, Dei judicia metiri et vias investigare audebimus?

III. Quid Dei latitudo nisi ejus immensitas? Est vero Deus ubique, primo, per intimam præsentiam, juxta id Jer. XXIII. *Cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus* : et David quasi quærens fugere Deum, ait Ps. CXXXVIII. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum ades : si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*. Nec enim esse possumus nisi in ipso, nec aliquo ferri nisi per ipsum ; juxta id Act. XVII. *In ipso vivimus, movemur et sumus*. Sicut enim aves in aere, pisces in aqua, sic nos in Deo sumus : imo sicut spongia in mari, ferrum in igne, sic nos in ipso, et ipse in nobis. Unde Greg. hom. VIII. super Ezech. ait : « Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interim penetrans. » Sic Gregorius.

Secundo, est ubique per sapientiam, quia omnia uno intuitu videt, audit, cognoscit, etiam quæ in tenebris et hominum cordibus fiunt. Unde David ubi sup. *Et dixi : Forsitan tenebræ conculebant me, id est, operient et abscondent me : Et nox illuminatio mea in deliciis meis, q. d. ipsa etiam nox lux est circa me, ut vertit Hieronymus, quia nimirum oculi Dei fugant tenebras, et de tenebris lucem faciunt, uti lux solis : unde deprehendent me in deliciis meis : Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : quia tu possedisti renes meos*. Ecce etiam arcana cordis rimatur, eaque in manu sua habet. Atque hinc aliqui volunt Deum dictum a Græco *video*. Et ratio est manifesta qualis enim Deus foret, si non omnia cerneret : quomodo omnia gubernare potest : quomodo etiam audiret preces nostras, nisi ad

corda nostra aures suas haberet : quomodo etiam loqueretur cordibus hominum, si ad aures cordium os suum (ut sic loquar) non admoveveret. Ad hæc : *Qui finxit oculum non considerat?* ait David, Psal. XCIII. Et mirabile, quod non dubitemus audiri orationes nostras a Deo, non vero advertamus audiri nostras blasphemias, videri furta, fornicationes, etc. *O insens atri, quis vos fascinavit non obedire veritati!* Gal. III.

Tertio, per potentiam, quia omnia in suo esse conservat, et cum omnibus operatur, necnon in omnibus et ab omnibus glorificatur, dum omnia ejus nutui obediunt, ejus bonitatem, sapientiam et potentiam in seipsis prædicant, juxta id Seraphinorum, Isa. VI. *Plena est omnis terra gloria ejus* : et Eccl. XLII. *Gloria Domini plenum est opus ejus*. Etenim sine Dei nutu et cooperatione capillus de capite, folium de arbore cadere non potest. Ipsæ vicissim creaturæ cum Deo operantur, cum vires suas ad nutum ejus exerunt : atque ita Dei gloriam prædicant ; unde David in psalmis, et tres pueri in fornace hortantur omnes creaturas ad benedicendum Deum. Quare si quis oculos interiores haberet, videret omnia opera Domini esse quasi thuribula, sursum emittentia odorem suavitatis gloriæ Dei : et si aures interiores haberet, audiret quasi concentum varium omnis generis instrumentorum laudantium Deum, et dicentium : *Ipsæ fecit nos, et non ipsi nos*. Quamvis enim non desint impii, qui Deo maledicant et nomen ejus blasphemant : tamen ipsi quoque vel inviti coguntur eo modo, quo opus laudat opificem, laudare Dominum, nam in ipsis etiam mirabiliter lucet potentia Dei qua eos fecit, et sapientia qua eos gubernat, et bonitas qua ipsis, licet ingratis et malis, vitam conservat, et misericordia ac justitia qua eos vel ordinat juste ad pœnam, vel expectat misericorditer ad pœnitentiam. Et licet illi ad has voces surdi sint : ipsi tamen nihilominus clamant, et audiuntur ab angelis, sanctis et justis.

Quam ergo cæci sunt, qui hæc minime observant? Et quam temere agunt, qui quasi nequam viderentur a Deo, peccant liberrime et gravissime quasi saxeam aut plumbeum reputarent esse Deum? Hi dicunt apud Job, c. XXII. *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa carânes cæli perambulat*. Nimirum sicut pueri dum manu tegunt faciem, latere se existimant, sic illi modo Deum non videant, nec se videri putant, dicentes id Ps. XCIII. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*. Sed respondet : *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat?* Quam temere etiam agunt, qui in tribulationi-